

doctis viris ita visum fuerit, propediem integrum, & absolutum de Cœna Domini tractatum, ab auctore nostro in Illustri Nassouica Herbornensi schola publicè prælectum, in lucem emittemus.

Restat adhuc vna, eaque perutilis & necessaria doctrina, ex admonitione Christi ad proditorem, in qua Christus nos docet, quomodo, si fortè per alios in discrimen honorum, famæ, & vitæ adducamur, tum in nobis ipsis, tum erga illos, qui nobis aduersi sunt, aut fuerunt, gerere debeamus. Quam doctrinam, cum illa dehortatoria Christi concione de omni ambitione vitanda, ad reliquos discipulos habita, in sequenti concione coniungemus.

C O N C I O V.

*DVPLICEM CHRISTI DEHORTATIONEM COM-
plectens, unam qua Iudam à proditione, minis æternarum pœnarum:
alteram, qua reliquos discipulos ab ambitione, pollicitatione
æternorum premiorum, dehortatur. Textus lega-
tur ex Luc. 22. à v. 21. ad 31.*

ANalyfis prioris partis, in præcedente cōcione explicata est. Ut promptitudo Christi ad mortem pro nobis sufferendam magis innotesceret, non solum Iudam in comitatu suo tulit, sed illa etiam nocte, qua traditurus eum erat, ad mensam vnà cum reliquis discipulis collocavit: rursus vt fidelitatem animi sui etiam ipsi proditori declararet, &, si fieri posset, a proditionis crimine eum auocaret, ante amicè, & tacite, sed tamen satis aperte de flagitii grauitate, & pœnarum subsequutarum atrocitate eum monuit, etsi paterna illa Christi admonitione Iudas non melior est factus, sed deterior, inque sua impietate confirmatior euasit.

Missio itaque Iuda, qui abiit in locum suum, Act. 1. 25. alia & quicquid reliquos discipulos ab ambitionis morbo sanare Christus suscepit, in quib. haud perinde, vt in Iuda, incassum laborauit.

Exemplo